Fragmentarium

coriandri coloris bdellii. Circuibat
que populus et colligens illud frangebat
mola sive terebat in mortario. co-
quens in olla et faciens ex eo tortu-
las saporis quasi panis oleati. Cum-
que descenderet nocte super castra ros
descendebat pariter et man. Audi-
vit ergo moyses flentem populum per fami-
lias singulos per hostia tentorii sui.
Iratusque est furor domini valde sed et moy-
si intollerandum res visa est. et ait
ad dominum. Cur afflixisti servum tuum.
Quare non invenio gratiam coram te
Et cur imposuisti pondus universi
populi huius super me. Numquid ego
concepi omnem hanc multitudinem
vel genui eam. ut dicas michi por-
ta eos in sinu tuo sicut portare so-
let nutrix infantulum et defer in ter-
ram pro qua iurasti patribus eorum. Un-
de michi carnes ut dem tante mul-
titudini. Flent contra me dicentes. Da
nobis carnes ut comedamus. Non
possum solus sustinere omnem hunc po-
pulum. quia gravis michi est. Sin
aliter tibi videtur. Obsecro ut inter-
ficias me. et inveniam gratiam in ocu-
lis tuis. ne tantis afficiar malis
Et dixit dominus ad moysen. Congre-
ga michi septuaginta viros de se-
nibus israhel quos tu nosti quod se-
nes populi sint ac magistri. et duces
eorum ad ostium tabernaculi federis
facies que ibi stare tecum. ut descendam
et loquar tibi. et auferam de spiritu tuo
tradamque eis. ut sustentent tecum onus
populi et non tu solus graveris. Popu-
lo quoque dices Sanctificamini. Cras come-
detis carnes. Ego enim audivi vos di-
cere. Quis dabit nobis escas carnium
Bene nobis erat in egipto. Ut det
vobis dominus carnes. et comedatis. non
uno die nec duobus vel quinque aut
decem. nec viginti quidem. sed usque
ad mensem dierum. donec exeat per
nares vestras et vertatur in nauseam eo
quod repulistis dominum qui in medio
vestri est. et flevistis coram eo dicen-
tes. quare egressi sumus ex egipto
ut periremus in solitudine. Et ait

moyses Sexcenta milia peditum huius
populi sunt. Et tu dicis dabo eis esum car-
nium mense integro. Numquid ovium
et boum multitudo cedetur ut possit suf-
ficere ad cibum. vel omnes pisces maris
in unum congregabuntur. ut eos satient.
Cui respondit dominus. Numquid manus
domini invalida est. Iam nunc videbis
utrum meus sermo opere compleatur.
Venit igitur moyses. et narravit populo
verba domini. congregans septuaginta
viros de senibus israel. quos stare
fecit circa tabernaculum. Descendit que
dominus per nubem. et locutus est ad eum
auferens de spiritu qui erat in moyse
et dans septuaginta viris. Cumque
requievisset in eis spiritus prophetaverunt
runt nec ultra cessaverunt. Reman-
serant autem in castris duo viri. quo-
rum unus vocabatur heldad. et alter
medad. super quos requievit spiritus
nam et ipsi descripti fuerant. et non
exierant ad tabernaculum. Cumque
prophetarent in castris. cucurrit pu-
er et nuntiavit moysi dicens. Heldad
et medad prophetant in castris. Sta-
tim iosue filius nun. minister moy-
si. et electus e pluribus ait. Domine
mi moyses prohibe eos. At ille quid
inquit emularis pro me. Quis tri-
buat ut omnis populus prophetet. et det ei
dominus spiritum suum. Reversusque est moy-
ses et maiores natu israhel in ca-
stra. Ventus autem egrediens a do-
mino arreptas transmare coturnices de-
tulit et dimisit in castra. itinere quan-
tum uno die confici potest ex omni
parte castrorum per circuitum. volabantque
in aere duobus cubitis altitudine
super terram. Surgens ergo populus to-
to die illo et nocte. ac die altero con-
gregaverunt coturnicum. qui parum de-
cem choros et siccaverunt eas per
girum castrorum. Adhuc carnes era-
nt in dentibus eorum. nec defecerat hu-
iuscemodi cibus. et ecce furor domini con-
citatus in populum. percussit eum pla-
ga magna nimis. Vocatusque est
locus sepulcra concupiscentie
sepelierunt populum. qui desid

License: public_domain – Paris, Bibliothèque nationale de France, Latin 9377, 15r – Biblia
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-c6ij/2613/41651)